

Q. 63. *Quid de auctore hujus Hymni dici potest?*

R. Præter prima verba Angelorum, cætera quis ediderit incertum est. In ejus textu non pauca occurrunt quæ merito sæculo primo vel secundo tribui possunt. — Textus originalis certe græcus est, sed mox successit versio latina. — Primum descriptus reperitur, aliqua tamen varietate distinctus, in Libro VII Constitutionum Apostolicarum, qui sæculo quarto adscribitur.

(Cfr. Cabrol. *Le livre de la prière antique*, p. 150 et sqq.)

Q. 64. *Explica rubricam Ordinis Missæ: « sic dicitur « Gloria in excelsis, » etiam in Missis B. Mariæ, quando dicendum est. »*

R. Errat qui existimat hanc rubricam spectare quæstionem quando dicendus sit Hymnus *Gloria in excelsis* in Missis. Agitur unice de tenore ipsius Hymni. Quod ut intelligatur, sciendum est, ante Missalis Romani recognitionem per S. Pium V, anno 1570, in plerisque Missalibus reperiri quasdam additiones Hymno factas; etenim, medio ævo, multi sacerdotes, affectu erga Beatissimam Virginem accensi, vetustæ cantioni intermisciebant quædam verba ad cultum Mariæ pertinentia, quæ in festivitibus Marianis decantarentur.

Et ita in omnibus fere Missalibus Germaniæ, Galliæ, Angliæ, necnon Romanis quibusdam, recognitionem Pianam præcedentibus, legere est Hymnum *Gloria dictum Marianum vel de Domina*, vel ut vocatur apud nonnullos, *coronatum*: « *Gloria... Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris, primogenitus Mariæ Virginis Matris; suscipe deprecationem nostram, ad Mariæ gloriam... Quoniam tu solus sanctus, Mariam sanctificans, Tu solus Dominus Mariam gubernans, Tu solus Altissimus Mariam coronans.* »

S. Pius V additiones importunas istas interdixit per rubricam citatam, cujus sensus est: eodem modo seu tenore qui immediate supra descriptus est, non additis amplius in Missis B. Mariæ, quæ hucusque in honorem B. M. V. addebantur, dicendus est Hymnus Angelicus.

CAPUT IV

DE ORATIONIBUS

Q. 65. *Breviter expone antiquum ritum dicendi Orationes ante Epistolam.*

R. Post preces Litaniarum, quarum reliquiæ nobis hodiedum remanent invocationes *Kyrie eleison* (Q. 58), sequebantur antiquitus preces, seu Orationes super collectam plebem; Hymnus *Gloria in excelsis* enim tardius fuit interpositus (Q. 62).

Ad has Celebrans, post salutationem, prius invitabat fideles ad orandum, indicans sæpe quis esset sensus vel finis Orationis dicendæ.

Hujusmodi Invitationis formulæ quædam tantum remanserunt in Ritu Romano, nempe in Orationibus quæ dicuntur Feria VI in Parasceve, in Missa Præsanctificatorum: *Oremus, dilectissimi nobis, pro Ecclesia sancta Dei, etc.*; necnon in ritu Ordinationum. Pro Orationibus ante Epistolam, a pluribus jam sæculis Invitatio constat unico verbo: *Oremus*.

Post Invitationem servabatur silentium, et omnes stabant extensis brachiis, eo situ quo depictæ prostant in Catacumbis figuræ Orantium.

Quibusdam diebus pœnitentiæ, invitante Ministro (Diacono) per verba: *Flectamus genua*, omnes, excepto Sacerdote, flectebant genua, vel prosternebant se, et aliquanto tempore in silentio orabant, donec Minister (Subdiaconus) clamabat: *Levate*, id est: *Levate corpora vestra*.

Tunc Celebrans dicebat Orationem, cui in fine omnes assentiebant, respondentes: *Amen*.

Q. 66. *Explica terminum « Collectæ », quo aliquando designantur Orationes ante Epistolam dictæ.*

R. Explicatio *litteralis* sequens est: **Collecta** = Collectio, proprie erat Oratio quæ olim recitabatur super populum, quando una cum clero collectus, processurus erat ad Ecclesiam, in qua Statio habebatur (Cfr. Q. 56, ad Notam); ex quo fieri potuit, ut *Collectæ* nomen di-

manarit ad reliquas hujusmodi Orationes, et præcipue ad insequentis Missæ Orationes quæ ante Epistolam dicuntur. Græci hanc Collectam vocant Synaxim (σύναξις, a συνάγειν), qui terminus æquivalens est.

2° **Mystice** Collectæ appellantur, quia Sacerdos, qui veluti mediator est Deum inter et homines **vota omnium colligit**; aut etiam, quia omnes, collectis in se animis, cogitationes et affectus suos ad Deum elevant. (Benedictus XIV. *De Sacrosancto Sacrificio Missæ* Lib. II, Cap. V, n. 1.)

3° **In Rubricis** aliquando Collectæ vocantur Orationes Missæ quæ dicuntur ante Epistolam; frequentius tamen, et communius in Decretis hoc nomen restringitur ad **Orationes Votivas** (sive Orationes ante Epistolam, sive Secretas, sive Postcommuniones), quæ nullam habent relationem cum Officio diei; de quibus postea dicitur.

Q. 67. *Quid tamquam præludium præponitur Orationi? Explica.*

R. Celebrans osculatur prius Altare, veluti benedictionem accipiens a Christo, qui per Altare adumbratur, ut eamdem populo precetur; deinde salutatur plebem collectam verbis: *Dominus vobiscum*; quæ salutatio desumpta fuit e Libro Ruth (Cap. II, v. 4); ejus sensus est: Dominus in vobis maneat, et gratiam vobis det mecum devote orandi. Non vacat mysterio, quod populus salutanti Sacerdoti respondeat, non *Et tecum*, sed *Et cum spiritu tuo* (juxta Apostolum, in II ad Timotheum, Cap. IV, v. 22, et ad Galatas, Cap. VI, v. 18); quasi respondentes optent Dominum implere spiritum ejus devotione, qua magno cum fervore pro omnibus oret, ita ut ejus oratio non solum lingua proferatur, sed multo magis corde et spiritu. (De Ponte. *De Christiani hominis perfectione*. Tom. IV, Tract. II, Cap. II.)

Episcopus, pro Oratione quæ dicitur ante Epistolam, et pro hac tantum, si in Missa dictus fuit Hymnus *Gloria in Excelsis*, salutatur populum verbis: *Pax vobis*, quibus Christus Dominus, typum cujus Pontifex refert, post Resurrectionem suam discipulos salutavit. (Joannes, Cap. XX.)

Post salutationem plebis Celebrans dicit insinuationem, seu invitationem, seu indictionem Orationis, per verbum *Oremus*, quod spectat Sacerdotem simul et populum, ut communis sit, ore et corde, gratiarum actio et petitio quæ sequuntur.

Q. 68. *Quid prænotandum venit pro applicatione regulæ de Orationibus quæ exponuntur in præsentis Capite?*

R. Tres sunt Missæ partes quæ constant ejusdem generis preactionibus, et quæ reguntur iisdem regulis, ac quibus ea quæ in præsentis Capite exponuntur sunt applicanda, scilicet:

1° Orationes quæ dicuntur ante Epistolam; quæ vocantur proprie *Orationes*, vel *Collectæ*, et de quibus modo dictum fuit in Quæstionibus 65 et 66.

2° Orationes quæ dicuntur ante Præfationem, quæ vocantur *super oblata*, vel *Secretæ* (Q. 50, A, 4°).

3° Orationes quæ dicuntur post Communionem pro gratiarum actione (Q. 50, C, 5°), et quæ inde vocantur *Postcommuniones*.

Istæ diversæ Orationes, quæ ad diversas Missæ partes dicuntur, iisdem reguntur Rubricarum legibus, quoad earum structuram, numerum, species, ordinem, conclusionem, et mutationem; et proinde quæ in præsentis Capite dicuntur speciatim de Orationibus ante Epistolam dictis, applicanda erunt Orationibus quæ vocantur Secretæ et Postcommuniones.

Materia tractanda. De Missæ Orationibus sequentia sunt explicanda:

1° De Orationum structura. — 2° De Orationum numero. — 3° De Orationum speciebus et ordine, ubi speciatim dicitur: a) de Commemorationibus specialibus; — b) de Commemorationibus communibus; — c) de Orationibus Votivis, seu Collectis. — 4° De Orationum conclusione. — 5° De Orationum mutatione. — 6° De Orationibus quibusdam determinatis.

ARTICULUS I

DE ORATIONUM STRUCTURA.

Q. 69. *Quot partibus constat Oratio (sive Oratio, sive Secreta, sive Postcommunio) ?*

R. Sic ordinariè constructa est Oratio, ut quatuor partibus explicite vel implicite constet, nimirum oratione, gratiarum actione, postulatione et obsecratione, juxta Apostoli monitum in I ad Timotheum, Cap. II, v. 1. (S. Thomas, 2^a 2^e, quæst. 83, a. 17.)

1^o Oratio seu elevatio mentis in Deum, statim initio præmitti solet, compellato Summo Numine hisce verbis : *Omnipotens sempiternæ Deus...*, vel frequentius *Deus...*, *Domine...*, *Domine Deus...*, etc.

2^o Orationem excipit gratiarum actio, sive pro mysterio quod ea die recolitur, ut cum dicimus : *Qui dediisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere...*, *Qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti...*, etc., sive pro gloria, aut certa aliqua gratia Sancto, cujus Festum agitur, collata, vel etiam nobis ipsis illius ope et intercessione, cujusmodi sunt ista : *Qui Beatum Petrum a vinculis absolutum...*, *Qui universum mundum Beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti...*, *Qui populo tuo æternæ salutis Beatum Ambrosium ministrum tribuisti...*, etc.

3^o Postulatione, quæ Collectæ præcipua pars est, continetur gratia seu beneficium quod a Deo poscitur, puta liberatio a peccatis, ereptio a periculis, vitæ æternæ adeptio, terrenorum contemptus, dona charitatis, humilitatis, patientiæ, etc. Exprimitur hujusmodi postulatio hisce plerumque verbis : *concede, da, largire, præsta, tribue, quæsumus*, etc.

Pulcherrima aliquando est in postulatione allusio ad id quod in gratiarum actione fuit memoratum, ex. gr., in Festo S. Petri ad vincula, 1 Augusti, in Transfiguratione Domini, 6 Augusti, etc.

4^o Obsecratio Collectam terminat his verbis : *Per Dominum nostrum...*, *Qui vivis et regnas...*, *Qui tecum vivit...*, etc. Est quædam doxologia in honore SS. Trinitatis.

NOTA. In Orationibus de Sanctis communiter exprimitur, sive in gratiarum actione, sive in postulatione, eorum nomen, et nomini sæpius adjungitur qualitas Sancti, ex. gr., Apostoli, Martyris, Pontificis, Doctoris, Confessoris, Virginis ; sic quidem in Orationes S. Isidori agricolæ (15 Maji, in Appendice Missalis) legitime dicitur : S. Isidorus agricola (Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Septembris 1885, n. 3642, antiq. 5949, ad 1).

Sed notandum est quod in Orationibus numquam exprimi possunt cognomina et patriæ Sanctorum, non obstante quacumque contraria consuetudine, uti non semel declaravit S. Rituum Congregatio. Igitur in Orationibus numquam dicitur *Franciscus de Paula* (Decret. 14 Februarii 1632, n. 583, antiq. 947) ; *Petrus Nolascus* (Decret. 5 Maji 1736, n. 2319, antiq. 4044, Rel. dub. ad 2) ; *Joannes de Matha*, *Franciscus de Borgia*, *Franciscus Xaverius*, *Philippus Benitius*, etc.

Attamen in Orationibus S. Joannis Chrysostomi (27 Januarii), et S. Petri Chrysologi (4 Decembris), non sunt expungenda nomina *Chrysostomi* et *Chrysologi*, quia hæc adjectiva potius sunt, et vel facundiam, vel vim et efficaciam divini sermonis recensitis Sanctis quasi supernaturali virtute inditam designant. (Decret. 5-8 Martii 1825, n. 2637, antiq. 4610.)

Item in Oratione S. Mariæ Magdalenæ addendum est verbum *Magdalena*. (Cfr. Adnotatio super Generali Decreto n. 2637. Vol. IV Collectionis, pag. 263.)

Q. 70. *Ad quem diriguntur generatim Orationes ?*

R. Communiter ad Patrem, interdum ad Filium, numquam ad Spiritum Sanctum.

Communiter ad Patrem : 1^o quia Dominus Jesus ita orare nos docuit per **Pater noster** ; 2^o quia Missa representatio est illius oblationis qua Christus se Patri obtulit.

Interdum ad Filium : assumpsit hujusmodi Orationes Ecclesia tempore Arianæ hæresis, quæ Filii divinitatem negabat, ne cui in mentem veniret, non posse disertis verbis invocari nisi Patrem ; adhibentur præcipue in Missis de Mysteriis Verbi incarnati. (Bellarminus.)

Numquam ad Spiritum Sanctum : nullum etenim suf-

ficiens motivum visum fuit Ecclesiæ, ut a prima regula in gratiam Tertiarum SS. Trinitatis Personarum deflecteret.

Unica tantum eaque solemnitas invocatio Spiritus Sancti occurrit in Missæ Sacrificio; nempe ad Offertorium, cum post oblationem panis et vini invocatur per Orationem: *Veni, Sanctificator, etc.*; quæ Oratio dicitur Epiclesis, et in omnibus Liturgiis, licet non eodem Missæ loco, reperitur. In hac petitur ut ignis Spiritus Sancti delabatur, absumatque panem et vinum, et in Corpus et Sanguinem Christi convertat; quo quidem declaratur, quemadmodum Christi Corpus Spiritus Sancti opera in virginali B. Mariæ utero formatum fuit, ita per eundem Spiritum Sanctum confici super Altare. (Benedictus XIV. *De Sacrosancto Sacrificio Missæ*. Lib. II, Cap. X, n. 20.)

Insuper in quibusdam Missis aliæ etiam laudes ad Spiritum Sanctum depromuntur; ex. gr., Sequentia: *Veni, Sancte Spiritus*.

Orationes omnes absolvuntur **per Filium**, quia unus est Mediator Dei et hominum, Deus et homo Christus Jesus, et per Eum solum accessum habemus ad Patrem. (Epist. I ad Timotheum, Cap. IV, v. 10; et ad Romanos, Cap. V, v. 1, 2.)

Q. 71. *Quid de antiquitate Orationum notant auctores?*

R. Quoad naturam, ab Apostolicis temporibus ducunt originem. Illæ vero, quibus nunc utimur in Missis, præsertim in Missis de Tempore, majori pro parte Sanctos Pontifices Gelasium († 496), et Gregorium Magnum († 604) auctores habent. Reliquæ temporis successu adjectæ sunt, et etiamnum ab Ecclesia adjunguntur, prout nova Festa id exigere videntur.

ARTICULUS II

DE ORATIONUM NUMERO

Q. 72. *Quot numero Orationes in Missa dicuntur?*

R. Sanctus Gregorius Magnus statuit unam tantum in Missa dici Orationem; postea tamen numerus Orationum excrevit; Innocentius III († 1216) testatur suo

tempore tres Orationes recitari, aut quinque, aut septem. (*De Sacro Altaris Mysterio*. Lib. II, Cap. 26.)

Hodie Orationum numerus determinatur juxta ritum, dignitatem et solemnitatem Festorum; ita ut generatim et per se ritus **duplex unicam**, ritus **semiduplex tres** requirat, ritus **simplex** ultra **tres** requisitas usque ad **quinque** vel **septem** admittat Orationes. Dicitur per **se**, quia aliquando in ritu duplici memoria faciendæ, seu Commemoratio occurrentium Officiorum plures quam unicam exigit Orationes; ex qua eadem causa in aliis ritibus, scilicet semiduplici, et simplici, ultra tres quandoque plures sunt dicendæ. Si autem ex hujusmodi causa in Missa ritus simplicis quatuor forent dicendæ aut sex, non ideo deberet alia addi ad numerum impari perficiendum; quia præscriptio numeri impari tantum spectat Orationes votivas stricte dictas, pro Celebrantis devotione ad libitum, non necessario, superadditas.

Ultra requisitas Orationes in ritu duplici aut semiduplici aliam aliasve addere ex devotione, vel pro currenti necessitate, ex. gr., pro infirmo, vel agonizante, numquam licet; fieri hoc non potest absque expressa Rubricæ dispositione, aut Indulto S. Sedis, aut Episcopi præscripto.

Q. 73. *Quæ dantur numeri Orationum rationes?*

R. Imparem numerum præscribunt Rubricæ, quia Ecclesia « unitatem et conjunctionem vehementer desiderat, quæ per impari numerum exprimitur, qui cum in æquas partes secari non possit, integritatem suam tuetur. » (Benedictus XIV, *De Sacrosancto Sacrificio Missæ*. Lib. II, Cap. V, n. 3.)

Unica Oratio solemnitatem denotat et unitatis sacramentum. — Tres Orationes dicuntur in honorem SS. Trinitatis, vel in memoriam trinæ orationis Christi in horto. — Quinque, in venerationem quinque Vulnerum D. N. J. C. — Septem, quia septem sunt petitiones in Oratione dominica; in qua cum omnia petimus, plures quam septem Orationes non dicuntur.